

Agriculturae non student,

maiorque pars eorum victus in lacte,

caseo,

carne consistit.

Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios;

sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum,

qui una coierunt,

quantum et quo loco visum est agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt.

Eius rei multas adferunt causas:

ne adsidua consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutent;

ne latos fines parare studeant,

potentioresque humiliores possessionibus expellant;

ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent;

ne qua oriatur pecuniae cupiditas,

qua ex re factiones dissensionesque nascuntur;

ut animi aequitate plebem contineant,

cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.